

8218  
R.K.  
435  
21.

X 1880 925

AD SERENISSIMUM ET CEL-  
SISSIMUM PRINCIPEM AC  
DOMINUM



DN. FERDINAN-  
DUM ALBERTUM

Ducem Brunsvicensem & Lu-  
neburgensem,

CHRISTOPHORI SCHRADERI

Epistola, interpres nummi

Iudaici.



HELMESTADII  
Typis HENNINGI MULLERI,  
ACAD. TYPOGR.  

---

Anno 613 10 6 LIV,

14





Serenissime & Celsissime Prin-  
ceps, Domine clemen-  
tissime.

**N**ummum veteris ævi argenteum,  
cujus Celsitudo Tua, inter tot ali-  
os, coràm mihi nuper copiam fe-  
cit, & interpretationem clemen-  
ter demandavit, versavi diligenter,  
& cùm ad similes alios, quorum imagines  
viri docti evulgarunt, tum ad sacram histo-  
riam cum curâ expendi. Quod huc faciens,  
animo tandem verius aut vero propius est vi-  
sum, planè exponam Celsitudinis T. singu-  
lari judicio quicquid hujus est humiliter de-  
ferens. Ordinarè à figuris, quas singula nummi  
latera singulas exhibent. Altera harum, ni  
prorsum fallor, fascis est plurium virgarum  
equibus una duabus gemmis, & folio an flo-  
re oblongo in summo est conspectior, cete-  
ris arentibus: imo fascis adiacet deciduum

amygdalum. Designare videtur duodecim illas virgas, quas, post populi Israelitici contra Mosē ac Aaronem rebellionem, à tribuum Israeliticarum duodecim Principibus divino jussu acceptas, atque uno fasce comprehensas Moses in sancto tabernaculo reposuit, & postridie illuc reversus ceteras quidem nihil mutatas, illam autem quæ tribus Leviticæ erat, & Aaronis nomine inscripta, reperit germinasse. Quo miraculo Aaroni & toti tribui Leviticæ sacerdotium ac cura sacrorum fuere confirmata, mandatumque ut in memoriam compressæ rebellionis, virga, divinæ hujus constitutionis index, in arca fœderis asservaretur. Historia perscripta est in divino Mosi volumine lib. iv. cap. xvii. Cujus fanè capituli octavum versum cum hoc nummo studiosè contendenti, liquidò apparet, tria quæ de efflorescente Aaronis virga Moses illic scripsit, in nummo exactè esse sculpta. Primum est. יצא פרח hoc est, *protulerat gemmam*, ut vertit Arias Montanus, sive *produxerat germinationem*, ut est in versione Pagnini, interpolatâ à Vatablo

Hæc

Hæc turgentium gemmarum germinatio in  
 nummo palàm conspicitur. Secundum est  
 וַיִּצְיָץ הַצֵּץ hoc est, & *florere fecerat florem*. Is ve-  
 rò binas inter gemmas medius atq; oblon-  
 gus eminet. Sequitur denique וַיִּגְמול שקרוי  
 hoc est, *Ad maturitatemq; perduxerat amygdala*:  
 Huic in nummo respondet maturum amygdalum,  
 ad scapum fascis seorsim sculptum. In Germanica  
 B. Lutheri nostri versione tria ista Mosis verba  
 redduntur *Grünen/Blüth/mandeln*. In latere altero  
 sculpta figura minus difficultatis habet, clarè enim  
 refert faciem anteriorem templi, & quidem Hierosolymitani,  
 quod inscriptio nummi demonstrat. Characteres porro,  
 qui in nummo hoc visuntur, sunt ipsi illi, qui Iudæis  
 vulgè dicuntur Samaritani, quorum Alphabetum è  
 nummis alijsq; monumentis vulgaverunt Rabbi  
 Azarias in libro qui inscribitur מאור עינים  
 hoc est, *Luminare oculorum*, folio 171. Guil-  
 ielmus Postellus in Alphabeto duodecimlinguarum.  
 Iosephus Scaliger in de Emendatione, & in Thesau-  
 ro temporum. Ioh. Baptista Villalpandus in Apparatu urbis

ac templi parte secunda cap. 21. pag. 378. Atq; extant hodie in Regia Bibliorum editione Parisina, iisdē litteris scripti quinque libri Mo- sis, quos in Augusta Bibliothecâ VVolferbyti cum magna voluptate ante annos aliquot in- spexi. Samaritanæ autem appellantur istæ literæ, quod post Iudæorum à Babylonico exilio reditum Samaritæ seorsum ijs fue- rint usi, Iudæis Chaldæam scripturam, cui in exilio assuerant, etiam in patria sua retinen- tibus. Ceterum quamvis Samariticæ litte- ræ nummo isti sint inscriptæ, Samariticus tamen ille, five à Samaritanis percussus non est, neque enim Hierosolymam illi, hujusq; urbis templum in nummis vel scriberent vel pingerent, cum ab ea urbe, ejusdemque tem- plo averfissimis animis, in Samariæ monte Ga- rizim sacra sua peragerent & peragenda con- tenderent, quod vel è colloquio Samaritanæ mulieris cum Christo Servatore notū est. Quî autem fit, nummum qui Samaritanus non est, litteris tamen Samaritanis esse inscriptum? Nempe eadem illæ literarum figuræ, quas post Babylonicam captivitatem soli Samari-  
tæ u-

tæ usurpabant, ante illam, hoc est Mosis & Prophetarum ævo, per totam Cananæam erant usitatae, unde his ipsis literis, in lege Domini scribenda Mosis, & in vaticiniis suis exarandis Iesaias, ceterique usque ad urbis Hierosolymæ excidium Prophetæ fuere usi. Hæc assertio nititur primò veterum cum Iudæorum tum Christianorum testimoniis, deinde conjecturis quibusdam è nummis ipsis desumptis: quibus omnibus inducti Patrum & nostra memoria, præstanti ingenio & doctrina viri, haut pauci, ita censent, characteres Samaritanos, in varijs nummis hodie conspicuos ipsos illos esse, quibus veteris testamenti codex ante Babylonicum exilium ab auctoribus suis primitus sit conscriptus. Redux Babylone populus Iudaicus, deinceps eas literas quibus sacrum codicem Hebræorum conscriptum hodie conspiciamus usurpavit, quod in Chaldæa assueti ijs essent & cum Samaritis ne literas quidem cuperent habere communes. Quum cujus generis literæ hujus nummi sint ostenderit, proximum est illarum sententiam aperire. Ergo  
qui

qui virgarum fasciculo circumscripti sunt Samaritani characteres, totidem Hebræis hodiernis redduntur, להרות, hoc est, *Ad descriptum*, ירושלם, Ierusalem. In altera nummi facie, quæ templi figuram exhibet, scriptum est טוב שם, hoc est *ibi bonum*. Extremæ sanè vocis, cujus superior pars detrita est, literæ tamen utcunq; agnoscuntur, alium sensum non invenio. Enimvero quatuor istas voces cum insculptis figuris conferenti, in mentem venit suspicari eum esse hunc nummum in honorem Sacerdotij Aaronis, tribus Leviticæ & templi Hierosolymitani. Sacerdotij enim illius & sacri ministerij Levitici divinitus constituti symbolum est imago virgæ in fasce aliarum efflorescentis. Eorundem autem in tribu ista ac familia intemeratam propagationem scriptura quædam tuebatur. Etenim ut successio filiorum Aaronis Levitarumque eo certior esset neq; quisquam ab hac tribu alienus sacro muneri se ingereret, aut per errorem admoveretur, David, ille Rex & Propheta, Aaronis Levitarumque genealogiam, & vices ministerij, divisas fortitò, in litteras refer-

imp

refer-



referrī curaverat, ut constat è i. Paral. cap. xxiii  
& seqq. quam descriptionem & Salomon  
continuavit, & successores quoque, dum re-  
gnum illud vixit, pertexuere. Salomonis  
fanè sacerdotalem catalogum Iofias Rex al-  
legat ii. Paral. xxxv, 4. cujus continuationem  
minimè neglectam fuisse ex lib. i. Esdræ cap.  
ii. vers. 62. animadvertimus. Cum enim  
nonnulli è Babylonico exilio reduces, pro fi-  
lijs sacerdotum se gererent, investigata est il-  
lorum scriptura, sive genealogia, quæ cum  
non reperiretur, à sacerdotio illi sunt sum-  
moti. Hæc Levitici ordinis descriptio, fa-  
nè memorabilis, designatur in siclo voce  
לחורת hoc est *ad descriptum*. Est autem lo-  
cutio elliptica, Hebræis familiaris, ut cum  
Iesaias cap. viii. v. 10. ait לתורה ולתעורה hoc est  
*ad legem & ad testimonium*, supple, *attenden-  
dum est*. Vt integra inscriptionis hujus sen-  
tia sit; Ad scripturam, sive ad catalogum sa-  
cerdotalem, à Davide scriptum, à Salomo-  
ne & posteris continuatum attendendum  
est, tum videlicet, cum de veris sacerdotibus

B

quæ-



quæstio exoritur. Additur porro nomen  
urbis Hierusalem, ejusdemque templo in fa-  
cie nummi altera adscribitur: *illic bonum*.  
Nempe quo sensu Absalom ad Ioabum dicit  
II. Sam. XIV, 32 טוב לי שם *Bonum mihi isthic es-*  
*se*, ita de hoc divinitus constituto loco, in  
nummo isto scribitur, bonum esse & saluta-  
re, isthic, in templo videlicet Hierosolymi-  
tano, versari & Deo sacra peragere. Ergo  
ut rem in pauca conferam, trium illustrium  
rerum monumenta, uni huic nummo sunt  
inscripta. I. Sacerdotii divinitus in Hebræa  
gente constituti. II. Sacerdotalis ac Leviticæ  
genealogiæ literis mandata. 3. Loci divino  
cultui cœlitus consecrati. Vnde jam porro  
in proclivi est colligere, nummum hunc esse  
*siclum*, illam primi templi celeberrimam mo-  
netam, Hebræorum genti propriam; præfer-  
tim cum ad aurificis stateram exploratus,  
pendere animadvertatur uncia femissem, sive  
quatuor drachmas, quod ipsum sicli genui-  
num pondus fuisse Fl. Iosephus lib. III. Anti-  
quit. cap. IX. testatum reliquit. De tempo-  
re per-

re percussi huius fidei duo cum primis in mentem veniunt: Primū, eo spacio quod inter conditum templi Hierosolytani & excidium à Nebucadnezare illatum interest, videri cūsum. Post enim illud temp<sup>9</sup> Samaritanas literas Iudæi, Hierosolymitani templi cultores, minimè usurparunt. Ante autē illud tempus, nulla templi potuit esse memoria. Deinde illo in primis ævo cūsum probabile est, quo sacerdotii Aaronis ac Hierosolymitani tēpli auctoritas adversus contemtores comprobari atq; communiri egebat. Id vero ut fieret maximè necessarium tum erat cum Ieroboam populum Domini à templo Hierosolymitano avocaturus, idola in Bethel & Dan collocaret, & filios Aaronis ac Levitas ex auctoraret, substitutis in horum locum sacerdotibus è vulgo reliquarum tribuum aliis. 1. Reg. XII, 18, 31. 1. Paral. XI, 15. Quo tempore distractis animis erant omnes tribus Israeliticæ, nonnullis ad Regis idololatræ imperium omisso templo, in Bethel & Dan sacrificantibus. aliis verò, etiam invito Rege Hierosolytam euntibus

& illic per genuinos sacerdotes, Deo patrum  
suorum sacrificia immolare pergantib. His  
ergo in vero cultu Dei retinendis, & ceteris  
qui à templo Domini, verisque sacerdotib.  
alieni esse cœperant, reducendis, publicæ  
monetæ à quodam Rege Iuda, hujusmodi  
symbola fuere insculpta, quæ Hierosolymam  
verum Dei sacrarium, Aaronitas Levitasque  
veros domini sacerdotes esse, populum do-  
cere possent. Et sanè *Abiam*, nepotem Sa-  
lomonis, (qui & Hierosolymam spretam &  
profanos, hoc est à tribu Levitica alienos sa-  
cerdotes adscitos, Regi Israelitico acerbè ex-  
probrat II. Paral. cap. 13. v. 8. & 9.) hujus  
symboli nummos publicasse vero est non ab-  
simile. Porro quemadmodum fœdus iste o-  
mnibus aliis, quæ hodie visuntur, numi-  
smatib. Græcis Latinisve, antiquitate antistat,  
ita præcium ejusdem commendat insigniter  
quod literam *Tau* figurâ crucis habet expref-  
sam. Hæc enim res cuidam divini Vatis lo-  
co insigni præclaram lucem accendit, & vetu-  
stissimorum Christianorum quandam asser-  
tio-

tio-

tionem, contra nupera scitamenta defendit,  
& omnino non caret mysterio. Commemorat Ezechiel, nono capite, visum Babylonē divinitus sibi objectum, quo Dominus sex percussoribus Hierosolymæ ob flagitia immixtis, præmiserit hominem lineis vestibus indutum, instructum scribæ atramentario, cui datum fuerit hujusmodi mandatum: *Transi per mediam civitatem Hierosolymam & signa Tau super frontes piorum.* Percussoribus autem præcipiebatur: *Transite per civitatem post eum, & percutite, senes, adolescentes, virgines, parvulos, mulieres: Ad omnem autem virum super quem fuerit Tau ne accedatis.* Hoc loco ultimam Hebræorum litteram *Tau* intelligi censuerunt Græci interpretes Aquila & Theodotion, vetus item interpres Latinus, tum & veteres Rabbini apud R. Davidem Kimchium in commentario ad hunc locum. *Tau* autem Hebræorum antiquitus crucis figuram habuisse, & veteres testantur, & hic ipse siclus præclarè confirmat. Origenis verba sunt ad istum Eze-

chielis locum: *Quidam ex Hebraeis ad Christum conversus retulit, in antiquis litterarum elementis, literam Tau figuram crucis habuisse.* S. Hieronymus ibidem: *Antiquis Hebraeorum literis quibus usque hodie utuntur Samaritani extrema Tau litera crucis habet similitudinem, que in Christianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inscriptione signatur.* Ausus est Iosephus Scaliger in animadversionibus Eusebianis Origenem ac Hieronymum falsi hic arguere, sed non alio argumento, quam quod in siclis quos ipse viderat, *Tau* antiquum aliã quam crucis figura conspiceretur. At verò vel iste Celsitudinis Tuæ nummus, in quo *Tau* crucis figurã expressum conspicitur, Origenis & Hieronymi testimonia, atque adeo illam loci Ezechielis Christianam interpretationem firmat. Accedunt duorum siclorum, literam hanc eãdem X. figurã exhibentium, à Villalpando loco citato publicatæ imagines, tum supra laudati R. Azariæ majus exceptione testimonium, qui literam eandem crucis for-

forma manifestò pinxit pag. 171. libri supra citati: non facturus utique, nec Christianis id daturus, nisi in Iudæorum suorum, quos nominatim allegat, monumentis, ita scriptam reperisset. Similem crucis figuram inter cilia Sacerdotis Iudaici, cum sacro oleo inungeretur, digito ungentis fuisse ductam, Hebræorum magistri tradiderunt. Atque hæc nota, ut Sacerdotem sanctum esse & inviolabile designabat, ita nos, dum aureæ ætatis Christianorum exemplo idem signum fronti inscribimus, par præsidium à Deo precamur. Exposui, Serenissime Princeps, de nummo mecum clementer communicato, animi sententiam, quam Celsitudo Tua, ut equidem confido, mecum probabit, dum doctiora judicia quiddam melius in medium afferant. Salve Celsissime Princeps, Deus Te nobis servet. In Acad. Iulia Kal. Sept. clò Io c LIV.

AK Thm 967

forma manifeste pinxit pariter. Nec Christianis  
tam: non factus videtur, nec Christianis  
datus, nisi in ludorum ludum, quos po-  
pulari allebat. monumentis, in scriptam  
repperit. Similiter crucis signum in cruce  
in sacerdotis ludici, cum sacro oleo in un-  
guentum, digito unguentis fuisse ductam. Ho-  
morum magistri tradiderunt. Atque hac  
vota, ut sacerdotem sanctum esse in violabi-  
le dignabatur nos, dum arce arce Christi-  
anorum exemplo idem signum fons in-  
scribitur, per periculum a Deo competi-  
tur. Expositi, serenissime Princeps, de  
maximo mecum clementer communicato,  
animi sententiam, quam Christo Tu, ut  
quidem confido, mecum probabile danda-  
etiam iudicia quiddam melius in medium  
asserant. Salve Christiane Princeps, Deus Te  
nobis seruet. In Acad. Julia Kal. Sept.  
1644. p. 114.

WNA

M. 11



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
 Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

**Kodak**  
 LICENSED PRODUCT  
 Black

**KODAK Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2000

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

